

14

DE  
NONNVLLIS  
AD  
VARIOLARVM INSITIONEM  
PERTINENTIBVS  
  
PRO CAPESSENDA  
IN ARTE SALVTARI  
DOCTORIS DIGNITATE  
  
PVBLICE DISSERET  
FRIDERICVS LUDOVICVS KESSLER  
MAGDEBURGENSIS.



D. XIX. JANVAR. MDCCCLX.

HALAE MAGDEBURGICAE EX OFFICINA HENDELIANA.

NONNULLES  
AD  
ARVICIARVM INSIGNIA  
CERTITUDINIBVS  
PRO CAVASSENBVR  
IN ARTE-ET-ARTA  
DOCTORIS-DIGNITATE  
TYPICAE DISSEMINAT  
LUDERICAS-ADDOVICAS RESSLER  
MAGDEBVRGENSIS.



D 1217 TAVANA HEGEL

HABE MWOODVARDICE IN ORIGINI TERRIBVS


VIRO  
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO  
ATQVE EXPERIENTISSIMO  
DOMINO  
D. CHRISTIANO ANDREAE  
COTHENIO,  
POTENTISSIMI PORVSSORVM REGIS  
A CONSILVIS INTIMIS ET ARCHIATRO  
COHORTIVM BELLICARVM ET ORPHANOTROPHEI  
POTZDAMPIENSIS MEDICO ORDINARIO,  
COLLEGII MEDICORVM SVPREMI DIRECTORI,  
ET  
COLLEGII MEDICO - CHIRVRGICI BEROLINENSIS DÉCANO,  
CIRCVLORVM QVORVNDAM PHYSICO,  
ITEM QVE  
ACADEMIARVM IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM  
ET REGIAE BEROLINENSIS SCIENTIARVM  
NEC NON COLLEGII SANITATIS  
SODALI LONGE MERITISSIMO

MAECENATI ATQVE PATRONO SVO  
SVMMO HONORIS CVLTV SVMMAQVE OBSERVANTIA  
SVBMISSÆ DEVENERANDO;

DISSERTATIONEM  
HANC SOLEMNEM MEDICAM  
IN  
PVLICVM  
SANCTISSIMI OBSEQVII, MAXIMAE PIETATIS  
ATQVE REVERENTIAE  
MONIMENTVM  
DEMISSO ANIMO CONSECRAT  
IPSIQVE  
INTER ARDENTISSIMA  
PRO EIVS  
NVNCVAM INTER RVPTA  
SALVTE INCOLVMITATE PROSPERITATE  
NVNCVPTATA VOTA  
SE  
SVAQVE STVDIA FORTVNAMQVE SVAM  
HVILLIME COMMENDAT

## TANTI NOMINIS

CVLTOR PERPETVVS  
FRIDERICVS LUDOVICVS KESSLER.



## INTROITVS.

Dissertationem de variolis  
scripturus, meum esse  
duxii, benevolum Le-  
ctorem praemonere, ne  
a me, in praxi medica nondum versato, the-  
rapiam earundem exspectet; quippe cui la-  
bori supersedere possum, cum maximi no-  
minis summaeque experientiae Medici in

praescribendis remediis multo cum fructu  
desudarunt. Ne igitur actum agam, in  
Dissertationis huius priori capite, naturam  
variolarum theoretice tantum pertractabo,  
in altero de variolis artificialibus, hoc est,  
de methodo, eas per implantationem pro-  
ducendi curandique, disputaturus. Quae  
quoniam in regionibus nostris nondum fa-  
tis est cognita, operae pretium duxi, de  
ea, cum tantae salutis sit universo generi  
humano, plenius atque uberiorius agere, si-  
mulque Lectorem monere, me Viro Ex-  
perientissimo, ac in hac operatione versa-  
tissimo, Patri meo, ultra cineres quoque  
reverendo, obstrictissimum esse; quo duce  
varias in hoc genere operationes ipse sus-  
cepit, quae etiam causa est, cur hanc mate-  
riam prae aliis mihi sumserim tractandam.

CAP.

DE NOSTRIS VARIOLIS

7

## C A P. I.

DE

# VARIOLIS NATVRALIBVS.



§. I.

*Variolarum definitio.*

Variolae sunt pustulae rubrae suppurascentes, ad summum genus omnium exanthematum febrilium, quae corporis superficiem defoedare possunt, pertinentes.

§. II.

*Phaenomena Variolarum.*

Experientia docet, ex omni agmine morborum, genus humanum infestantium, nullum esse universaliorem variolis, omnesque non Europae solum, sed & universi orbis terrarum incolas iisdem esse obnoxios. Docet porro, quod variolae quidem cuiuscunque aetatis subiecta invadant, sed ex omnibus stadiis vitae humanae, nulli tam infestae sint, quam aerati infantili. Quotidie enim observamus, infantes, vix in lucem editos, ab iis corripi, peracta hac aerate iuventus rarius iis obnoxia est, rarissime vero aetas consistens & senilis. Constat denique, illos, qui semel variolas superarunt, per reliquum vitae tempus ab iisdem esse liberos. Eandem intentiam omnes fere Medici fervent, quamquam me non fugiat, aliquot prostare exempla subiectorum, denuo variolis correptorum, quae vero ob raritatem nullam faciunt regulam.

§. III.

H

## 8 DE NONNVLLIS AD VARIOLARVM

## §. III.

*Causa Variolarum.*

Morbus adeo univerfalis, causam requirit sibi proportionatam, per consequens omnibus hominibus communem. Omnem autem causam morbi aut constituit pars corporis humani essentialis, aut non: Priori variolarum causa adnumerari non potest; patebit enim ex infra dicendis, materiam variolam sub ipso morbo ex corpore per diaphoresin eliminari, quod indicat, causam hanc in fluidis corporis humani latere. Quod si igitur pars corporis essentialis foret, ipsa massa languinea causam constitueret variolarum. Verum enim vero ex his sequeretur, ut tamdiu variolis obnoxii essemus, quam causa, eas producens, in corpore haeret, quod vero experientiae adversatur. Alia igitur causa adsit necesse est, quae non est pars corporis essentialis: illa vero vel est productum corporis humani, vel non. Producta corporis humani vel magis adhuc continentur in eodem, vel minus; causae vero, quae non sunt producta corporis, sunt causae externae; si productis corporis humani adnumeretur, productum esset massa sanguinea. Docet vero Pathologia, omnes morbos fluidorum, qui connexi sunt, vel solvuntur per exanthemata, esse aut morbos acutos malignos, aut chronicos. Priores vero maxime agnoscunt causam externam miastmaticam; si vero causam quandam internam agnoscunt, a fluidis productam, ut plurimi morbi exanthematici chronici, haec in qualitate sanguinis est quaerenda. Qualitas sanguinis depravata, morbum producens exanthematicum, requirit acrimoniam humorum, id est, partes salinas abundantes.

Haec

## MISITIONEM PERTINENTIBVS.

Haec salium abundantia oritur aut a suppressa quadam excretione naturali, aut a vitiis, contra diaetam commissis. Una igitur ex his causis determinaret causam variolarum, sed ex §. antecedente patet, variolas constituere morbum universalem, qui omnes cuiuscunque sexus & aetatis homines adoritur. Quanta vero inter hos intercedit differentia, & in diaeta & in admissione eiusmodi suppressionis excretionum? Absurdum igitur foret, productis corporis humani causam adnumerare variolarum. Tertia superest classis causarum morborum, quae dicuntur externae, ad quam pertinet noster morbus. Ut vero ex tot innumeris causis morborum externis, veram eruamus, in eius disquisitione §. II. quasi ducem sequi volumus.

### §. IV.

#### *Ulterior cause disquisitio.*

Docet §. II. variolas 1) constituere morbum universale, 2) neminem mortalium iisdem bis divexari, 3) aetati infantili eas praesertim esse infestas. Ad haec momenta attendens, conjectura facile adsequetur, causam earum requirendo qualitates, cum iis convenientes: Ex omnibus causis externis, quae admissae ad corpus humanum morbos accendere valent, aër & alimenta primum fibi vindicant locum. Aër omnibus quidem communis est, omnes eundem ducimus aërem, si autem in eo haereret materia variolosa, hunc morbum in uno eodemque corpore saepius esset producturus. Si variolae epidemice graffantur, & aër materia variolosa, ex corporibus variolis laborantium exhalante, imbutus est, non ii tantum, qui ab illis nondum cor-

B

repti

EO DE NONVLLIS AD VARIOLARVM

repti fuerunt, sed & alii, qui morbum hunc superarunt, iterata vice eundem sentirent. Ex alia ratione Phaenomenon hoc demonstrari nequit, nisi alia adhuc causa adsumatur, quae accedit, cum variolae prorumpunt, quaeque iam antea in corpore delituit. Haec vero causa cum alimentis in corpus translata non est, tantum enim differunt alimenta, quibus vitam tueruntur, ut plane ab his causa derivari nequeat. Diversa enim alimenta, diversas morborum causas constituentia, unum eundemque effectum producere non valent. Testatur porro experientia, infantes, vix prognatos, qui praeter lac alio alimentorum genere nondum usi sunt, variolis laborasse: immo sunt, qui observarunt, infantes variolas iam in utero materno concepisse, cuius rei testimonium, omni fide dignum, adferre possum. Parens enim dilectissimus, qui in Ducatu Magdeburgico primus salutarem methodum variolas inferendi docuit, hodieque magna cum laude multoque cum fructu exercet, singularis huius casus testis est, quem ipsius verbis referam. *Anno MDCCLVI. mense Novembri, inquit, Mercator nostrae civitatis celeberrimus, Senatoris munere simul fungens, enixe me rogabat, ut tribus eius liberis variolas artificiales insicererem, quod & faciebam, matre tamen invita, quippe quae de liberorum periculo timens nimis religiose resistebat. Variolis autem perbenignis iusto tempore prorumpentibus, liberi morbum solito leviorem sentiebant, cum interea temporis natu minima filia, cuius operationi nondum satis idonea, variolis naturalibus confluentibus insiceretur, & quidem tanta copia, ut vita pericitaretur, matre tax-*

*men,*

men, tum temporis gravida, filiolae huius curam haud mediocrem suscipiente, ea sanitati restituebatur. Post anspicia anni M DCCLVII. mater pariebat filiam, quae variolis, iisque benignis, laborans nascebatur, cuius cum ego filiaeque parens, forte essemus immemo-  
res, rogau patris eidem puerulae mensē Novembri anni MDCCVLVIII. variolas inscrebam, sed nihil pro-  
ficiiebam, neque enim variolae prorumpabant, neque  
puella ex hac operatione aegrotabat, eaque adhucdum  
sospes est & incolmis. Quae cum ita sint, supra dicta  
extra omnem dubitationis aleam posita sunt, & hinc  
colligendum, aliam adhuc causam externam admittendam esse, neque in aere, neque in alimentis obviam.  
Et cum infantes, in lucem vix editi, variolis subiici  
possunt, quivis facile coniectando adsequi potest, ma-  
teriam hanc iam in utero produci, & in corpus foetus  
transferriri.

## §. V.

Origo materiae Variolae.

Ex §. antecedente appareat, causam variolarum non nisi in ipso utero esse querendam. Nulla vero causa magis apta est ad procreandam eiusmodi cau-  
sam morbosam, quam vel fluida, quae ex matre in  
foetum transeunt, vel ea, quae secreta ex sanguine ma-  
tris, foetui partim pro nutrimento, partim pro involu-  
cro inferiunt; quale fluidum est Amnii Liquor. Fa-  
cile quidem explicari posset variolarum caula, si ma-  
teriae variolosae, in massa sanguinis matris residue  
quidquam adsumamus: hoc autem sententiae nostrae,  
supra stabilitate, contrarium esset. Materiam enim  
variolosam per febrem e corpore eliminari affirmavi-

¶2 DE NONNULLIS AD VARIOLARVM

mns, sed raro mulier quaedam, a variolis adhuc immunis, fit mater. Restat igitur liquor Amnii, in quo variolarum causam & originem putamus quaerendam. Ex Physiologia scilicet est notum, liquorem Amnii nil esse aliud, nisi fluidum ex vasis tunicarum, quae foetum circumdant, exstillans, fero & lymphae sanguinis simillimum, quod per calorem naturalem a putredine defenditur. Defertur hic liquor per os ad ventriculum & canalem intestinorum, privatur hic per vas a resorbentia magna fluiditatis suae parte, ex partibus aquosis resorptis restat massa quaedam fluida, sed liquore Amnii multo crassior, meconium dicta, ex partibus relictis terreis, salinis & oleofisis constans, quae, privatae partibus suis aquosis, in mixtione alterantur, & in motum transeunt putredinosum, ex quo materia variolosa oritur, quod statim, praemissis nonnullis generalioribus, quae huic sententiae inserviunt, demonstrabimus.

§. VI.

*Ulterior demonstratio.*

Febris variolosa magna ex parte convenit cum morbis exanthematicis malignis, qui omnes causam agnoscunt miasmaticam; hoc vero miasma plerumque in aere generatur a partibus animalium putrescentibus. Per putredinem enim generatur sic quoddam volatile subtilissimae indolis, quod in corpus delatum, sumnam humorum resolutionem producit, & febrem accedit malignam, cuius ope haec materia rursus e corpore per diaphoresin expellitur, & in peripheria corporis modo purpuram, modo petechias, modo alia exanthemata producit. Eadem ratione ex-

meco-

meconio putrefiente, eiusmodi materia secerni potest, quae in massam humorum transit. Quoniam vero plenariam putredinem non subit, & post partum statim elicitur, inde fit, ut materia haec neque tam subtilis, neque in tanta copia adesse possit. Haec omnia congruunt nostrae sententiae, nec ullum Phaenomenorum, quae explicat §. II. illi contrariatur. Causa haec tam universalis est, quam morbus ipse; omnis mortal is uno eodemque modo in lucem editur: hinc patet, cur infantes, vixdum nati, variolis corripi possint; hinc denique appetat, neminem propter meco-  
nii defecatum denuo variolis infici.

## §. VII.

*De sede materiae Variolosae variae opiniones.*

Origine materiae variolosae ex fonte suo iam eruta, nunc est videndum, in quibus latibus illa a suo ortu usque ad tempus eruptionis latitet. Ingeniosissimi viri in ea re disquirenda maximam impenderunt operam, sed omnes, variis argumentis fulti, in varias abierunt sententias. Audiamus igitur eas, veritatem earum perpendamus, tentaturi, vtrum duce Pathologia & experientia, veram eius sedem explorare possimus nec ne? Scrutemur primo Celeberrimi Friderici HOFFMANNI sententiam, quam in *Systemate Medicinae Rationalis* de sede Variolosae materiae fovet, eam in obstructis medullae spinalis tubulis ponens, & ita ratiocinans: *Medulla spinalis*, inquit, *primo cum capite in utero formatur, in hac ob manus, quod subit incrementum, necessariam quasi stasis liquidi supponit, & ex hoc liquido stagnante & alterato*.

## 14 DE NONNVLLIS AD VARIOLARVM

materiam variolosam deducit. Testantur id pergit, nervosarum partium affectiones, variolis familiares, celere incrementum febris acutae, dolor capitis, dorsi & lumborum, epilepsiae, convulsiones, deliria & cetera symptomata, quae variolas comitantur. Posita vero hac stasi liquidi, nonne ad productionem variolarum referatio huius staseos necessaria est? Quaenam febris tunc foret ea specifica, ut effectum hunc producere posset? Febris variolosa, per se talis, hanc cum omnibus febribus qualitatem communem habet, ut humorum stases removere, & vasa obstructa referare valeat. Cur igitur non omnis febris variolas produce-re potest? Porro epilepsia, convulsiones, & reliquae cerebri ac medullae spinalis affectiones, sedem materiae variolosae minime indicant: faepius enim variolae benignae sine symptomatibus his prorumpunt; quod fieri non posset, si modo vel minutissima pars materiae variolosae, his tam sensibilibus partibus admiseretur. Dolores capitis & lumborum pariter non semper sentiuntur, aut sunt effectus febris complicatae, & resident in vasibus maioribus, sanguinem vententibus, praecipue iis, quae intra meninges cerebri & extra cavitatem medullae spinalis iuxta eam decurrunt. His igitur argumentis probe ponderatis, ipsa ruit sententia. Ad aliam me converto, quam Celle-berimus HAHNIVS, Medicus Practicus Wratislavien-sis longe celeberrimus, stabilire annis est: qui variolarum indolem morbosam, in totum fere negat, asserens, eas nihil aliud esse, quam naturalem quandam vasorum in cute evolutionem. Sed quam speciose etiam haec sententia excogitata sit, validis tamen & ponde-

ponderosis destitutus argumentis. Omnes enim evolutiones & mutationes naturales corporis nostri, certo quodam tempore accidunt, hanc semper immutatam servat natura legem. Osteogenia, dentitio, & fluxus menstruus idem observant tempus; nunquam ossa foetus perfectissima sunt, nec in sene epiphyses observantur, dentes semper iusto tempore proveniunt. Cur vero haec evolutio ex omnibus sola irregularem servaret typum? Nulla subest ratio, cur natura legem universalem hic transgredietur: Symptomata vero, quae variolae cum his evolutionibus coniuncta habent, non dependent immediate a variolis, neque ab evolutionibus his, sed a febre, quae utrumque comitatur: si haec deest, defunt quoque symptomata. Plures ac diversae adhuc restant sententiae de sede materiae variolosae: sic glandula renalis, cuius usus minus dilucide hucusque demonstratus est, huc quoque pertinet. Sed quoniam levioribus nituntur argumentis, & terminus, quem nobis proposuimus, haec omnia fusius persequi prohibet, ad eam progradimur sententiam, quam plurimi quidem iam ante foverunt, sed satis firmis nondum corroborarunt argumentis.

### §. VIII.

*Vera materiae variolosae sedes.*

Latet scilicet materia variolosa in massa sanguinis, praecipue in parte eius serosa, in quam ex meconio praeparata transit; circulum subit in hac involuta cum sanguine per omnia vasa, donec causa accedat, quae materiam inclusam a suis involucris liberat, & ad prou-

## 16 DE NON NIVIS AD VARIOLARVM

producendam febrem variolosam aptam reddit. Originem huius materiae eiusque in sanguinem transitum supra fusius demonstravimus, sanguis vero foetus abundat sero, quod ex partibus aquofis, oleofis & paucis terreis constat, quae inter se commixtae acquirunt substantiam mucilaginosam. Ab hac partes salinae & acres materiae variolosae involvuntur, quae sua activitate privantur, ut nullam vim, neque in vasa, neque humores corporis exferere possint. Enimvero involutio haec, quamdiu materia variolosa inclusa haeret, augetur, corporis moles & simul seri quantitas increscit, cum interim materia variolosa nullum augmentum patitur. Sub quo vis igitur incremento seri in minores partes resolvitur, & hoc modo per plures annos quieta in corpore latere potest, donec e corpore alio, variolis laborante, exhalans & in aërem dissipata, partim per alimenta, partim per vasa inhalantia, peripheriae corporis ad massam humorum delata materia accedat, quae ob naturam homogeneam statim cum primis, quibus occurrit, particulis materiae variolosae se coniungit, easque ab involucris suis liberat. Nec obstat, quod massa humorum per alias morbos exanthematicos, acutos & chronicos, ut purpuram, scabiem, apostemata, tineam capitis &c. sola interdum exagitetur, extricetur & dissolvatur, remanente materia variolosa quieta & inalterata. Primo enim materiae variolosae quantitas minima est, cum sero intime mixta: concedimus quidem, morbos supra nominatos humorum massam resolvere, extricare & alterare posse, intiomorem vero resolutionem negamus, quae tamen ad liberandam materiam variolosam

sam necessario requiritur. Dein notum est, aetatem infantilem, cui tamen febres acutae & malignae minus infestae sunt, plerumque variolis subiici, chronicos vero morbos minori vi massam sanguineam resolvendi pollere. Quod vero febres acutae malignae, dum miasma illarum tum subtile est, ut massae humorum intimam possit producere resolutionem, materiam variolosam liberare valeant, sequens illustrabit casus: Vir quidam, quinquaginta circiter annos natus, nunquam variolas expertus, corripiebatur tempore autunnali, variolis non grassantibus, febre maligna, qua gravissime decumbebat, in conspectum prodibant petechiae & purpura, intermixtis multis variolis veris: soli itaque febri acutae & malignae petechiali & purpuraceae, causa explicationis materiae variolosae adscribenda est. Idem phaenomenon saepius observatur in morbis venereis, videlicet aliquid miasmatis in corpore affecto restat, cum fluidis miscentur, & cum nulla vi agat, per plures annos in corpore latet, in senectute demum denuo progerminat, & effectus siuos producit. Chirurgia castrensis docet, vulnera eorum, qui Veneris castra securi sunt, curatu esse difficultima, quod miasmati venereo, in sanguinis massa haerenti, unice adscribendum, etiam si ceteroquin aeger sanus sit atque incolmis. Denique natura harum febrium & morborum, diversa a natura variolarum, continere rationem videtur, cur ad liberandam materiam variolosam minus apta sit; difficilis enim corpora heterogenea, quam homogenea, sibi invicem adhaerent: pauca igitur materia variolosa omnem massam variolosam facilius evolvet,

C

quam

18 DE NONVLLIS AD VARIOLARVM

quam alia quaevis materia morbosa, in maiori quantitate corpori inhaerens.

§. IX.

*Causa occasionalis evolutionis variolarum.*

Transeo ad demonstrandas rationes, quomodo inclusa materia liberetur, quos effectus producat, & qui fiat solutio morbi, inde producti? Ex superioribus patet ratio, quae materiam variolosam evolvere valeat: pro universali itaque thesi assumimus, alienam materiam variolosam requiri, quae ad corpus deferratur, & inclusam liberet. Convenit hoc cum observationibus, dum videmus, variolas eo tempore facilius prorumpere, quo epidemice grassantur; licet haec thesis aliquam patiatur limitationem, cuius rei exemplum supra adduximus, quod scilicet variolac ab alio morbo excitari possint.

§. X.

*Natura materiae variolosae.*

Variolarum substantia materialis videtur esse indolis salinae alcalinae volatilis, id quod primo demonstrat ortus: Oritur enim ex partibus animalibus ope motus putredinosi. Docet vero Chymia & Physiologia, quod ex omnibus partibus putrescentibus sal quoddam alcalinum volatile liberetur, ad cuius naturam materia accedit variolosa: Deinde etiam hanc naturam produnt symptomata, variolas concomitania, hisque simillima, quae alia corpora huius generis producere valent.

§. XI.

*Differentia variolarum.*

Si materia haec variolosa in corpore, alias sano, evolvi-

evolvitur, nec aliud ullum miasma accedit, aliam adhuc praeter variolosam excitans febrem, variolae plerumque evadunt benignae. Malignae vero oriuntur, cum tunc temporis variolae malignae grassantur, & multum materiae variolosae in corpus infertur, cum variolae in corpore debili, impuro ac morbido producuntur, vel alii morbi chronicci cum iisdem coniuncti sunt; tunc variolae plerumque pessimae sunt indolis, in sphacelum degenerant, vel ulcera, comitatur illas febris valde acuta maligna, saepissime quoque mors. Haec distinctio omnibus Pathologis est communis, cui & ego subscribo, primo de benignis, tum de malignis acturus.

§. XII.  
*Variolae benignae.*

Variolarum species illa benignissima est, quas nullus alias morbus comitatur. Aegri tantum de leni horripilatione, de sensu gravativo capitis ac artuum, & ciborum fastidio queruntur. Haec symptomata ad quartum circiter usque diem continuantur, quo variolae efflorescere incipiunt. Materia variolosa in corpore, alias fano, optimae indolis variolas semper produceret, nisi alia externa materia miasmatica accederet. Variolosa enim materia, in corpore latens, in paucissima tantum quantitate in fluidis corporis nostri haeret, quod testatur variolarum insitio, cuius ope, cum nulla alia, nisi iam praesens, materia agere possit, semper variolae benignae producuntur.

§. XIII.  
*Symptomata iis coniuncta.*  
Materia variolosa est indolis salinae alcalinae vo-  
C 2 latilis,

## 20 DE NONNVLLIS AD VARIOLARVM

latilis, ut docet §. X. Eiusmodi salia vero duplicom producunt in corpore effectum, gaudent enim vi vasa irritandi & humores expandendi, dein ex secretionum Theoria patet, machinam corporis nostri omnes intendere vires, qualemque materiam heterogeneam, in massa fluidorum contentam, excernendi. Variis haec excretio fit viis, sed maxime per diaphoresim, qua via materiam quoque variolosam excernere laborat, quae cum ad vasa minima secretoria cutis translata est, ob vim suam irritantem irritat vasa, hanc irritationem sequitur constrictio vasorum, quam excipit spasmus, qui dicitur periphericus vel febris. Febris itaque est symptomata, sine qua nunquam variolae efflorescere possunt. Differt quidem haec febris gradu, quo maior enim quantitas materiae variolosa, eo maior spasmus. Lenissimam vero omnium febrium speciem constituit horripilatio. Per spasmus periphericum necessario impeditur circulus sanguinis, inde nova cordi & arteriis nascitur resistentia, qua aucta utriusque augetur actio, pulsus inde evadit durus & celer, aucto cordis motu & arteriarum, harum minuitur diameter, sanguis, cuius circulus in peripheria corporis impeditur, in venis coacervatur, earum tunicas intendendo, & sensum illum obtusum, quem dicimus gravativum, producendo. Cum vero in venis capitis & lumborum, in illis, ob specificem maiorem quantitatem sanguinis, qui advehitur, in his ob adscensum perpendiculararem, vasisque artuum familiarem, sanguis facilius coacervatur, in iis maxime hic dolor gravativus sentitur.

§. XIV.

## §. XIV.

*Resolutio sanguinis, nausea & vomitus.*

Altera vis, qua materia variolosa pollet, expandendi humores, effectus quoque augere potest. Sanguis arteriosus quo magis expanditur, eo magis resistit arteriarum actioni; venosus vero extendit tunicas venarum, & auget causam sensus sic dicti gravativi, aucta vero causa augetur quoque effectus, & haec sensatio ingravescit. Specialius observatur symptoma, febrem variolosam concomitans, fastidium scilicet ciborum & appetitus prostratus, quod febre ingravescente in vomititiones transit, immo vomitus. Autem enim impetu fluidorum, sanguis in venis coacervatur, & quod in genere de omnibus corporis nostrri partibus valet, id specialiter ad vasā ventriculi applicari potest, maior inde affluxus humorum determinatur ad ventriculum, vasa tunicasque extendens & spasmus in eo producens, quem excipit nausea, hanc vomitatio, eamque autem vomitus, quae symptomata augmentur, miasmate variolofo, variolis graftantibus, in aere volitante, humoribus salivalibus & cibis se admiscente, & ad ventriculum delato.

## §. XV.

*Cephalalgia, epilepsia, convulsiones & haemorrhagia narium.*

Haec symptomata quo minora existunt, eo benignioris indolis variolas indicant, & vice versa. Febris, praecipue aestus exacerbatur, vomitus, cephalalgie accedunt, nec raro, in primis in infantibus, epilepsia, convulsiones & haemorrhagia narium. Maior sanguinis affluxus versus caput, & plethora narium haemorrhagiam facilissime producunt, felicem eventum

## 22 DE NONNVLLIS AD VARIOLARVM

variolarum saepius promittentem: Epilepsia & convulsiones quoque in variolis tam periculosa non sunt symptomata, quam in aliis morbis. Oriuntur enim saepius a minima causa, quae regurgitationem sanguinis versus superiora causatur, facilius vero produci poterit in febre variolosa, quam semper expansio sanguinis & congestiones in venis cerebri comitantur. Interim nihil periculosi indicant, quoniam causa, eas producens, variolis superatis, cessat.

## §. XVI.

*Materiae variolosae ad orificia vasorum cutis propulsio.*

Liberata e vinculis materia variolosa, in sanguinis massa libere vagatur, ad cutis spiracula defertur & febrem accedit: per hanc, arteriarum motus systalticus augetur, cor & vasa maiori impetu agunt, & maior fit fluidorum propulsio versus peripheriam. Hac actione unita, materia variolosa propter vim maiorem fluidorum, sub novo febris paroxysmo magis propellitur, donec ad orificia vasorum exhalantium delata sit.

## §. XVII.

*Stagnatio materiae in ultimis vasis cutis.*

Vasa corporis nostri, provehentia fluida, quo magis a corde remota sunt, eo minora sunt, & cordis actio in iis infringitur, idem valet de vasibus exhalantibus cutis, materia variolosa igitur, dum ad ulteriora haec vasa defertur, minores ingreditur canaliculos, a corde longius remotos, quos ob vim suam irritantem facile contrahit & occludit, & cum cordi nimis remoto, vires deficiant per auctam propulsionem fluidorum eas

eas referandi, & materiam inclusam protrudendi, stagnat & vasa occludit.

§. XVIII.

*Inflammatio.*

Occlusionem vasorum cutis excipit illico spas-  
mus; ea vero est spasmus cuiuslibet natura, ut in pro-  
xima propagetur vasa, congestiones efficiat, & fibras  
correptas, nisi discutatur, debilitet: similem contra-  
ctionem spasmodicam circumiacentia vasa patiuntur,  
fluida per ea transire non amplius possunt, stagnant  
itaque & in vasa lateralia penetrant, per actionem ar-  
teriarum & sanguinis propulsione, in vasa lymphati-  
ca iam intrare cogitur sanguis rubicundus, quae di-  
stenta spasmus concipiunt & obstructionem, inde fit  
inflammatio, haec vasa itaque distenta & inflammata  
in cute elevantur, & variolas proprie sic dictas consti-  
tuunt.

§. XIX.

*Distinctio variolarum in benignas & malignas  
ex earum copia.*

Quo parciор materiae variolosae quantitas, &  
quo benignior eius qualitas sanguinis massae inheret,  
eo minorem variolarum quantitatem habebis, easque  
distinctas, & cuti minus profunde inherentes, quas  
vocant benignas: quae vero ob maiorem quantitatem,  
& magis depravatam & acrem qualitatem, copiosius  
& profundius in cute subsident, malignae vocantur,  
quo pertinent, quae peioris adhuc sunt indolis, hinc  
confluentes dictae, quoniam in tanta copia prorumpunt,  
ut, deficiente spatio extensioni, inter se connas-  
cantur & confluant.

§. XX.

## §. XX.

*Phaenomena variolarum, eruptionem sequentia.*

Sub variolarum benignarum eruptione, plurima symptomata, hanc praecedentia, cessant, in malignis quidem aliqua ex parte minuantur & remittunt, sed quoniam humorum massa ita vitiata est, ut ab omnibus particulis heterogeneis simul & una vice liberari non possit, symptomata gravia, quo pertinent febris & deliria, supermanent, & aegro periculum minantur. Referunt variolae primo intuitu, figuram parvolorum punctorum, quae magis magisque versus omnes plaga extenduntur, usque dum ad pisi fere magnitudinem pervenerint, ubi ultimum extensionis spatium obtinuerunt & consistunt: rubent nascentia tuberculata vivido aliquo splendore, qui color sanguini, in valis minimis transparentibus stagnanti, adscribendus.

## §. XXI.

*Variolarum sedes.*

Non solum in cute est variolarum sedes, sed eae quoque interiores occupare possunt partes, sic quotidie in cavitate oris, faucibus, naribus & toto canalis alimentitii tractu, variolas observare licet, & haud raro, cadaveribus dissectis, in viscera supericie, in pulmonibus, hepate, immo corde conspicuae fuere, eodemque modo materia variolosa ad harum partium, quo ad integumentorum vasa defertur. Cur vero variolae haud saepius in his partibus observentur, haec est ratio, quoniam partim omnium partium heterogenearum excretio naturalis ad cutem determinatur, partim ipse calor internus naturalis aliquam valat cauari diuisionem, stagnabit inde materia variolosa

losa potius in his partibus, ubi haec causa discussionis deest, videlicet in peripheria corporis.

§. XXII.

*Sola suppuratio variolus resolvit.*

Facta variolarum eruptione, tertium incipit stadium, a die septimo ad undecimum usque perdurans, quo intervallo maturatio & suppuratio absolvitur. Variolae, quae sunt tubercula cutis inflammatoria, iisdem, quibus quaevis iuflammatio, obnoxiae sunt mutationibus: degenerant aut in scirrum, aut in pus, aut denique in gangraenam & sphacelum. Discussio variolarum non facile obtinetur propter ipsam materiam inclusam, discussionem non admittentem; scirrum autem difficulter subeunt, ob conditionem materiae contentae, partesque succis nimium repletas. Solvuntur itaque variolae per suppurationem vel sphacelum, per hunc rarius, grassantibus nempe variolis malignis, ut plurimum vero per illam, viribus adhuc integris, pulsu cordis nondum debilitato, nec vasorum elatere retracto. Fit vero suppuratio sequenti modo.

§. XXII.

*Suppuratio qui fiat?*

Omne vas corporis nostri obstructum & inflatum aliquam adhuc retinet vibrationem & tonum, ita ut reactio eius in fluida stagnantia remaneat, & ichorosa eorum corruptio praevertatur. Interim sanguis ruber stagnans in sua mixtione alteratur, serum a cruore separatur, & salia evolvuntur, accedit in variolis materia acris & irritans, alterationem mixtionis & humorum acrimoniam augens, oritur inde nova

D

mixtio

26 DE NONVLLIS AD VARIOLARVM

mixtio, nascitur pus. Puris generatio in iis incipit vasis, in quibus prima orta fuit stagnatio: materia variolosa inclusa ob acrimoniam, circumiacentia vasa arrodit, tunicas eorum corrodit, ut fluidum, in illis contentum, effluat, quod cum pure iam orto miscetur, & simili modo in materiam purulentam vertitur. Lymphatica vasa, nondum obstruta, simul corrunduntur, & novus accedit lymphae purioris affluxus, quo plenaria corruptio praevertitur, & stagnantes humores cum fluidis sanis circulant: partes aquofae posthaec a pure absorbentur, pus, in densorem & melligineam substantiam transiens, bene coctum audit. Dum in interna variolarum substantia haec mutatio peragitur, externe notabilis fit mutatio, variolae antea rubentes & splendentes, primo in medio punctum, ex albo flavescens, concipiunt, quo magis magisque versus omnes plagas extenso, variolae paulatim elevantur, donec singulae in bullulam mutatae sint, in extremo margine stria solummodo rubicunda restante: quae mutatio quatuor circiter dierum spatio absolvitur.

§. XXIV.  
*Odor variolosus.*

Nova in variolis benignis sub hoc studio non oriuntur symptomata, aeger potius se servatum sentit: patet vero ex principiis Pathologicis, a suppuratione, inflammatione simplicem comitante, aestum febrimque mitigari, id quod de variolis praecipue affirmari potest, quoniam simul materia, fluidis & vasis inimica, quae febrem & reliqua symptomata excitaverat, e corpore iam est eliminata, & in corporis superficie, in

in variolis suppuratis stagnat. Novum idque singulare existit Phaenomenon, odor scilicet particularis, qui e vesiculis variolosis effluit, in aërem dissipatur, & conclavia implet, ita ut ex odore solo morbus, quo aeger laborat, dijudicari possit: convenient autem cum odore, quem spargunt lochia, quod nostram affirmat de ortu materiae variolae sententiam, siquidem similes fere mutationes illi, qui foetum circumdant, li- quores patiuntur, quas meconium.

## §. XXV.

*Variolarum in sphacelum degeneratio.*

Illum hucusque conspeximus mutationis variolarum statum, dum vires adhuc sunt vegetae, cordisque & arteriarum robur integrum, & massa humorum ceteroquin bene mixta. Aliter vero se res habet, vasa ultra tonum si extenduntur, viribusque & reactione destituuntur: si pulsus est debilis, & corpus cacochymicum: tunc suppurationis loco augetur inflammatio, quae gangraenam pedissequam habet: tunc vasa dilacerantur, fluida alterantur, & cum succus lymphaticus bonus affluens deficit, roburque vasorum, ad generationem puris laudabilis summe necessarium, in putredinem stagnantia fluida transeunt: nascitur ichor foetidus, summe acris, tandem sphacelus, quem, nisi citissime vasorum tonus restituatur, mors sequitur.

## §. XXVI.

*Febris suppuratoria ex variolis coincidentibus.*

Suppuratione pene peracta, febre cessante, optima sanitatis spes subito saepe invertitur, ad finem sup-

D 2

pura-

## 28 DE NONVLLIS AD VARIOLARVM

purationis; febris reviviscit, aestus augetur, supervenient anxietates praecordiorum, non raro deliria, & externe nullam mutationem, nisi parvas foveas in variolarum superficie observamus, nihilominus aegri in vitae discrimine versantur, & audit hoc symptoma in scholis medicorum: Variolae concidunt, id quod idem minatur periculum, quod retrocessio exanthematum. Causa eius duplex est, aut interna, aut externa. Hanc plerumque producit refrigeratio, omnis enim aër frigidus, efficere potest spasticam contractionem vasorum cutis, quae mediante materia variolosa versus interiora pellitur, pustulae pure contento liberantur & plane concidunt. Illam duplarem statuimus, vel affectus & commotiones animi, quos spasmodus periphericus comittatur, vel summam vasorum debilitatem: Vasa enim maiora, cum elater eorum infringitur, reaktionem & propulsionem fluidorum non amplius rite perficere possunt, sanguis magis in his accumulatur, & in vasa minora parcus propellitur, quae ob resistentiam deficientiam fortiori cum impetu se contrahunt & spasmum excitant. Quod idem valet de vasis curis, quorum constrictio retrocessionem puris & variolarum concidentiam, causatur, & maius adhuc periculum minatur. Pus, hoc modo resorptum, ob acrimoniam vasa corporis fortius irritat, arterias ad crebriorem & maiorem contractionem excitat, novam febrem accedit, anxietates & deliria parit. Laborandum hic in primis, ut affluxus humorum versus peripheriam de novo promoveatur, & materia purulenta per spiracula cutis eliminetur, quod difficillime obtinetur, vasis majoribus nimis iam debilitatis, & materia variolosa ad partes

partes nobiliores congesta. Hanc febrem vocant suppuratoriam, malignam.

## §. XXVII.

*Febris suppatoria simplex. Salivatio.*

Tempore suppurationis alia interdum febris observatur, a pure reforpto orta, quod una cum partibus aquosis ex pustulis variolosis resorbetur, quo minor autem est quantitas puris resorpti, eo levior quoque febris & symptomata cum ea coniuncta, nullum enim minantur periculum. Aliud singulare interdum symptomata apparet, nimurum salivatio, in aere inueniili praesertim occurrens & minus periculosa, quae modum excedens, aliquam requirit mitigationem, ne somnum turbet, ad vires conservandas quam maxime necessarium.

## §. XXVIII.

*Desiccatio crustae. Ulcera.*

Superata hac febre morbus decrescit, per vasā corroso lymphatica, partes puris aquosae reforbentur, reliquum inspissescit, & in copus solidum ac siccum degenerat, quod crustas constituit, quae tandem sponte se a cute separant. Sub inspissatione materiae purulentæ, salia evoluta involvuntur, atque acrimonia & vi corrodente vasa privantur, qua sub crusta succus gelatinosus paulatim inspissatur, vasa consolidantur, & nova oritur epidermis. Nervuli sub hac nova epidermide delitescentes non amplius tam fortiter irritantur, hinc perit ardor, remanente aliqua mitiori irritatione a crusta, eos obtegente, & sensum titillatio-nis producente, tunc febris & omnia cessant sympto-

## 30 DE NONVLLIS AD VARIOLARVM


mata, corpore quoad interiores partes sanitati iamiam restituto. Peripheria corporis ad tempus defoedatur per crustas remanentes, hisque delapsis per maculas rubras, tandem evanescentes, residuis tantum cicatricibus, quae respectu profunditatis & magnitudinis vel profundiores, vel magis superficiales sunt, successu temporis cum incremento corporis disparenes. Tali modo pro votis hic morbus superatur, cuius eventus deterior est, cum variolae malignae, alii que morbi maligni grassantur, vel chronicci accedunt, aestusque nimiam ferver, tunc oriuntur ex variolis superatis ulcera superficialia, satis faepe profunda. Si enim materia variolosa nimia adest, aut alia materia heterogenea accedit, sanguinis mixtionem depravans, acrimonia humorum augetur, augetur inflamatio, & penetrat ad profundiores cutis partes, immo ad tunicam cellulosam; maior inde fit laesio vaforum, & affluxus humorum ac profundior suppuration: quae, si ad cellulosam penetrat, & cum humoribus impuris, vel etiam a materia variolosa nondum satis depuratis miscetur, ulcerum causam sistit, quae musculos eorumque vaginas usque ad ossa facile penetrant. Eadem ratione ulcera interna oriuntur, si ad partes interiores nobiliores materia variolosa defertur; nascuntur *ossium ulcera & spina ventosa*, phthisis & alia plura, immo quod grallanibus variolis malignis non raro observatur, omnis massa sanguinea ita resolutur & putreficit, ut inde orientur mihi cruentus atque diarrhoea cruenta, & pustulæ ichore rubro repleantur, quae plerumque mortem præclagiant.

§. XXIX.

## §. XXIX.

*Pitia organorum sensuum.*

Tandem variolae non raro saeviunt in organa sensuum visus & auditus, relinquent post se caecitatem, dum ex pustulis, in tunica oculi ortis, pelliculae remanent, visum obfuscantes. Ad organon auditus delata materia variolosa, si non universalem, particularem tamen surditatem causatur.



## C A P. II.

DE

## VARIOLIS ARTIFICIALIBVS.

## INTROITVS.

 **S**atis superque periculum demonstravimus, quod variolae naturales non minantur solum, sed & afferunt. Cuiuscunque sexus & aetatis homines omni aevo iisdem succubuerunt, nec facile illum reperias morbum, qui plures interimat. Variolarum mentione iniecta, trepidant, qui funestissimum hunc morbum nondum superarunt, cum interim alii, qui ex hoc malo se emerserunt, foedissimis morbi

## 32 DE NONNULLIS AD VARIOLARVM

morbi huius signis conspicui sunt, quibus nullum aliud relinquitur solatium, nisi quod per reliquum vitae tempus a variolis im- munes sint atque liberi. His perpensis mi- nime est mirandum, si therapia omnes fon- tes exaurire allaboravit, ut remedia dete- geret, quibus morbum hunc si non pro- scribere, ast mitigare valeret. Iam inde ab antiquissimis temporibus animadversum fuerat, variolas alio tempore mitiores, alio autem ferociores grassari, nec aetati infan- tili adeo funestas esse, quam adultae. Ob- servatio haec nonnullis ansam praebuisse videtur, methodum excogitandi, qua va- riolas benignas elicerent, malignas contra arcerent. Variae huius generis viae sunt detectae, quas omnes breviter indicabi- mus, earum optimam autem ulteriore de- ductione illustrabimus. Variolae sic pro- ductae *Artificiales* cluent, quae a natura- libus neque ratione figurae, neque aliarum proprietatum, sed gradu tantum differunt, hac praerogativa gaudentes, ut longe sint mitiores.

§. I.

## §. I.

*Variolarum emtio. Attritus variolarum. Variolarum  
communicatio per narres. Per Pilulas.  
Ope scalpelli.*

Sic ab antiquissimis temporibus in dissitis non tantum regionibus, sed & in nostris nota est sic dicta variolarum emtio, quae diversimode, ut plurimum autem sequenti modo instituitur: Ii, qui variolis nondum laborunt, adeunt ex iisdem aegrotantes, quibus nummulos quosdam offerunt, quorum alios hi sibi vindicant, alios vero variolis suppurascentibus imponunt, quos materia variolosa probe imbutos ementibus reddunt, redditos fani variis corporis membris impriment, quo modo materiam variolosam, in corpore latitatem, accendent, & variolas provocant. Methodus haec quidem primo intuitu superstitione videtur, nec dubitamus, plurimos hac in re superstitioni litasse, interim tamen ex Physiologia & Pathologia patet, hanc methodum nil esse nisi artificialem quandam variolarum insitionem. Materia enim variolosa, qua nummi inuncti sunt, dum cuti imponitur, per vasa resorbentia ad sanguinis massam advehitur, ubi materiam indigenam evolvit, & febrem variolosam accedit, quam plerumque variolae benignae sequuntur. Huic emtione non est absimilis attritus variolarum, dum incolumes adhuc in lectum variolis decumbentium deportantur, & iuxta eos ponuntur, ut per attritum & materiae variolosae exspirationem variolas ex sanis eliciant. Cautione tamen hic opus est, ne variolis laborantes alio quoque maligno morbo sint infecti.

II.

E

Alia

## 34 DE NONVLLIS AD VARIOLARVM

Alia adhuc methodo utuntur Sinenses, a recensitis  
longe differente: Globulis nimirum, ex gossipio fa-  
ctis, materiam variolosam excipiunt, & in naribus co-  
rum condunt, quibus variolas excitare volunt. Ex-  
citant quidem, sed saepius summo cum periculo; in  
illis enim locis, quibus variolosa materia applicatur,  
maior variolarum copia prorumpit, iam vero in nari-  
bus nervi olfactiorii & rami quinti paris nudi appa-  
rent, narium ossa summe tenuia existunt & spongio-  
sa, & cutis, illa tegens, tenuis & laxissima est, per  
consequens hae partes ob acrimoniam materiae va-  
riolae multo exponuntur periculo. Alia, sed mag-  
gis periculosa methodo, M<sup>E</sup>A<sup>D</sup>, Medicus Anglicus,  
in femina, mortis damnata, usus, dum variolas per pi-  
lulas, ex materia variolosa confectas, provocare ten-  
tavit; quibus deglutitis in febrem variolosam incidit,  
sanitati quidem restituta, sed symptomata summe  
gravia, praecipue cephalalgiam intolerabilem, ad ple-  
narium usque morbi decursum durantem, passa est.  
Periculosus igitur huius operationis eventus eum ab  
ulterioribus huius generis tentaminibus deterruit.  
Unus adhuc modus, antecedentibus praestantior, &  
in Wallia, Angliae Provincia, olim usitatus, superest,  
cum emtione variolarum conveniens: Emtor nempe  
variolas suppurascentes scalpello aperit, eoque mate-  
ria variolosa satis inuncto cutem tamdiu radit, donec  
sanguinolenta fiat. Hoc modo sanguinis massa mias-  
mate varioloso inquinatur, quod morbum excitat.  
Huc etiam pertinet variolarum, iam desiccatarum, in  
variis locis curis applicatio, qua etiam, ut aiunt, va-  
riolas arte producent.

§. II.

## §. II. Per inoculationem.

Omnibus vero modis, hucusque recensitis, absque dubio palmam praeripit ille, qui hodie in Anglia, Belgio, Germania aliisque Europae tractibus usitatus est, & *Inoculatio seu In situ variolarum* dicitur, Germanice *das Einproppfen der Pocken*. Ad provocandas variolas aptissimus, omnisque periculi expers, cuius natales referremus, nisi KIRCKPATRICK, TISSOT, CONDAMINE, aliquique hac de re prolixius scripsisset; ad quos avidos Lectores delegamus, ipsis hac in re sat facturos. Huic ergo labori supercedebo, de methodo huius operationis fusius acturus, quam ductu Patris optimi, Medici Magdeburgensis, aliquoties ex animi sententia suscepi, & hinc modum operandi, in Germania, praecipue in nostris provinciis usitatum, dextre docere possum. Controversiam: Utrum methodus haec, variolas per artem provocandi, sit licita? quidam Theologorum moverunt, quibus TISSOT in Tractatu: *l' Inoculation Justifiée*, Carolus CHAIS, V. D. Minister Hagae Comitum, in Libro, cui titulus: *Essai Apologetique sur la Methode de communiquer la Petite Verole par Inoculation &c.* aliquique responderunt, hanc quaestionem penitus discusserunt, licetiamque huius methodi firmis ac solidis argumentis stabiliverunt, quorum egregia scripta evolvisse ac legisse Lectores non poenitebit:

## §. III. Collectio materiae variolae.

Ad tractationem itaque ipsius operationis progressuri praemittimus methodum colligendi materiam

## 36 DE NONNVLLIS AD VARIOLARVM

variolosam, ad inoculationem necessariam. Inciduntur nempe variolae vel naturales vel artificiales maiores tempore suppurationis, quo album, lacti similem, prae se ferunt colorem, materiamque flavescentem intus habent, acu vel lanceola, quo facto pus profluens filis, ex gossipio, quod reliquis praefstat, dupliciter vel tripliciter contortis, iterata vice, si opus est, excipiuntur, per breve temporis spatium, ad exsiccationem usque, leni calori exponitur; & in vitro, optime testo, ad ultioreum usum asservatur, quod accurate asservatum per multos menses vim atque efficaciam suam retinet, ut pater meus, longo usu edocetus, observavit.

## §. IV.

*Aetas operationi commodissima.*

Omnibus quidem, cuiuscunque sint aetatis, (excipiamus summe proiectam) variolas implantare licet; quemadmodum vero aetas adulta, variolis naturalibus decumbens, gravioribus symptomatibus est obnoxia, ita quoque se res habet cum illis, quibus in hac aetate variolae inferuntur. Consentient vero omnes, qui variolarum infictioni favent, illamque exercent, infantilem aetatem a quarto anno usque ad decimum quartum esse aptissimam, pulsiones vero, infra quartum annum degentes, excipiunt, metuentes convulsiones aliquae symptomata, dentitioni familiaria; nos vero aliter sentimus, afferendo, hanc operationem etiam in infantibus, primum annum nondum egressis, optimo cum successu institui posse, experientia enim docet, hanc aeratulam variolis saepissime esse obnoxiam, ex iisque feliciter se emergere. Cavendum vero, ne operatio illo tempore instituatur, quo eiusmodi pulsiones

nes

nes aegrotant, vel difficii dentione, qua facile moriuntur, laborant.

## §. V.

*Anni tempus.*

Erigendum quoque commodum ad infestionem variolarum anni tempus; tempore hiemali ob nimium frigus operatio haec minus ex sententia succedit, occluduntur enim, dum friget, cutis pori, & tota peripheria corporis spasmo afficitur, per consequens, pustularum eruptio impeditur; pari modo sub aestu nimio aestivo tempore operatio haec commode fieri nequit, ob maiorem resolutionem & expansionem humorum facile metuendam; autumnum quoque ob acri mutationem huic operationi non favere, quia hoc anni tempore plurimi morbi epidemice graffantur, qui accedentes inoculatis facile perniciosi esse possint, nonnulli credunt; sed experientia testatur, per multos tunc optimo cum successu fuisse inoculatos: Interim tempus vernum huic operationi est maxime idoneum, omnibusque ob calorem temperatum & aquabilem tempestatem praeferendum. Sed notandum, satius semper actum esse, si variolae eo tempore inferantur, quo naturales minime graffantur, non quidem eam ob rationem, ac si naturales, dum artificialibus fese immiscent, aliquod damnum inferre possint, sed quia, quod facile in uno vel altero subiecto fieri potest, variolae malignae artificialibus fese iungere possunt lethiferae, inoculationis osoribus anfa praeberetur, operationi huic salutiferac maculam inurendi.

E 3

§. VI.

## 38 DE NONNVLLIS AD VARIOLARVM

~~Non nullis sup. encod. §. VI lib. xv. ad mortes eorum.~~  
*Praeparatio ad operationem. Per laxantia. Per diætam. Per venæsectionem.*

Antequam vero inoculatio instituatur, opus est, ut corpus rite praeparetur. Sub praeparatione autem præprimis primarum viarum habenda est ratio; curandum iraque, ut fordes, in illis stagnantes, ejiciantur, quod commode sit per leniora laxantia, mannata, rhubarbarina & salia amara, præmissis remedii digestivis. Si enim canalis alimentarius foribus viscidis atque biliosis scaret, necessaria ciborum digestio chiliique distributio impeditur, vomititiones, variolis consuetae, cum spasmo intestinali & obstructione alvi producuntur, quae symptomata, quod cuilibet notum, in morbis exanthematicis multum incommodi causantur, cum econtrario expurgatis primis viis circulus sanguinis liberius redditur, eiusque congesiones versus caput, cephalalgiae, convulsiones & epilepsiae praescinduntur. Cavendum vero est a purgantibus vehementioribus, resinosis & draſticis, quae nimiam fibrarum irritationem, sanguinisque commotionem efficiunt. Laxantium usus pro constitutione præparandi bis terve post iextum vel septimum diem repetitur. Deinde etiam conveniens diaeta est observanda, omniaque pinguis, concoctu difficultiora, quo & pertinent carnes, fale conditae & fumo induratae, evitanda. Eligendi vero cibi eupepti, carnes molliores, poma toſta cocta, iuscula carnium, decocta ex avena excorticata, oryza & farinacea levissima. Potus sit difutus, ex aqua pura, cum succo citri mixta, decocta ex hordeo & cornu cervi raspato præparata, pauxil-

pauxillo sacchari edulcorata, lac aqua mixtum, vel quod omnibus praestat, lactis serum dulce, in copia haustum, quod acrimoniam humorum temperat, ac resolvente & simul diluente virtute gaudet. Vina infantibus nocent, adultioribus aqua diluta, sed moderate conceduntur. Nec balneorum tepidorum atque pediluviorum usus sub praeparatione est contemnendus, quibus humorum massa diluitur, sanguinisque circulus liberior redditur. Denique inoculationis fautorum alii venae sectionem ad praeparationem summe necessariam praedicant, aliis contrarium sentientibus. Sed distingendum inter subiecta inoculanda & videndum, an sint plethorica, nec ne? Si prius, optimo iure venae sectio sive in infantie, sive in adultiore est instituenda, immo pro circumstantiis urgentibus repetenda, qua inflammatio, febrisque, illam concomitans, avertitur. Rarissima interim sunt exempla, venae sectionem in infantibus, ad insitionem variolarum praeparandis, adhibitam fuisse.

§. VII. ijs eradicatio elin  
operazio

Praemissa itaque momentis, ad praeparationem necessariis, nunc de ipsa operatione, quam ductu patris optimi aliquoties exercui, breviter agam. Est vero operatio facilissima, omnis doloris & periculi expertis, & sit incidendo cutem exterioris partis utriusque brachii sub insertione musculi deltoidis scalpellῳ secundum longitudinem, ita ut vulnusculum pollicis transversi mensuram non transgrediatur, nec tunicam cellulofam nimium penetret. Ea enim incisio optima est, sub qua vix gutta sanguinis conspicitur, quo fa-

## 40 DE NON VLLIS AD VARIOLARVM

Et statim pars filii, pure varioloſo humectati, vulneris longitudinem aequantibus, vulneri accurate applicatur; cui paululum lintei carpi, unguento digestivo delibuti, superimponitur, quod emplastro diapalma, miraculoſo vel alio eiusdem compositionis, tegitur ac fasciola simplici munitur. Methodus haec communicandi pus varioloſum est tutissima ac usitatissima. Non quidem alia nos fugit via, dum nempe illis, qui ferrum abhorrent, per impositionem emplastri vesicatorii epidermidem elevant, & apertis vesiculis vulnera eodem, quo nos, modo tractant. Cum vero eiusmodi vulnera in ulcera nimum suppurantia curarique difficultima degenerant, illam iure meritoque disuadimus, ut taceamus dolores, ab elevatione epidermidis oriundos.

## §. VIII.

*Ulterior progressus.*

Pus varioloſum corpori tali modo communica-  
tum antequam ad sanguinis massam pervenit, in cel-  
lulis membranae adiposae deponitur: ex his succus  
lymphaticus continuo exhalans in vasa lymphatica  
colligitur, ad sanguinis massam retrovchitur & cum  
materia varioloſa mitetur. Duplex inde oritur com-  
modum: non solum enim pus varioloſum siccum in  
ea solvit, & commixtione cum sanguine aptior redi-  
ctitur, sed & transitus ad sanguinem facilior; haud o-  
mnem quidem materiam varioloſam, corpori inclu-  
ſam, liberat, sed paucissimam tantum partem, illi pri-  
mum occurrentem, cum qua coniunctum plures parti-  
culas materiae varioloſae solvit, & actum hunc con-  
tinuat, donec omnis materia liberata est. Deligatio  
vero,

vero, supra delineata, per quadraginta horas manet intacta, quibus praeterlapsis solvitur, filum vulneri applicatum removetur, & nullo recenti adhibito filo utrumque vulnus modo supra demonstrato deligatur, nisi, cum forte sub operatione primum filum non ita accurate, ut debet, ob inoculandi impatientiam & metum vulneri applicatum esset, nova fili applicatio necessaria est. Retulit quippe mihi parens, se saepius expertum fuisse, in uno vel altero brachio vulnus plane coauisse, eamque ob rationem hanc fili reiterationem excoxitasse, ut eo certius responderet operationi. Deligatio haec quotidie absque nova fili immisione repetitur, & absque ulla mutatione usque ad finem curationis continuatur. Praeter fluunt saepius quatuor vel quinque dies, antequam minima tantum vulneris mutatio observari potest, nisi quod lineolam albam, quod autem rarius fit, in labiis vulnerum conspicias, quae te de facta communicatione puris cum materia variolosa, in massa humorum haerente, & felciter instituta operatione certiore reddit. Evidentius autem signum est, quando sexto die vulnerum labia punctula alba ostentant, confinia vulnerum rubescunt, inflammantur, & quasi indurescunt, licet nulla adhuc suppurationis adsit. Haec dum fiunt, inoculati, qui hucusque nullum senserunt incommodum, paululum aegrotare incipiunt.

## §. IX.

*Historia morbi.*

Conqueruntur nonnulli die quinto, plurimi die sexto, de doloribus sub axillis levioribus, turget caput, faciesque tumet, lippiant oculi, & quod raro

F

fir,

## 42 DE NONNVLLIS AD VARIOLARVM

fit, stillat sanguis per nares, corpus nunc friget, nunc calet, adebet febris, urina primis diebus copiose emit-  
titur cruda, paulo post sedimentum albnum fistens, si-  
tiunt aegri & abhorrent cibos. Paucissimi vomunt,  
& inter quadraginta octo, quibus medendis parens  
operam navavit, unica tantum puella quatuor anno-  
rum motus convulsivos experta est levissimos, per  
horae quadrantem durantes, delirantem vero inter  
omnes nullum vident. Omnia haec symptomata, va-  
riolis naturalibus quoque familiaria; sed in artificiali-  
bus leviora, eruptionem praenunciant, quae ut plu-  
rimum fit tertio a febris ingressu die. Haec eruptio  
vero non in facie primum, uti in variolis naturalibus  
fieri solet, conspicitur, sed in utroque brachio circa  
confinia vulnerum inflictorum, faciem dein occu-  
pant, tum corpus eiusque extremitates, immo plan-  
tas pedum. In facie quidem & brachiis prope vul-  
nera saepius tanta macularum copia, quanta in natu-  
ralibus observatur, quarum plurimae postero vel ter-  
tio die evanescunt, vix novem aut quindecim resi-  
duis, prout etiam in reliquis corporis partibus adeo  
parce prorumpunt, ut ad summum vix quinquagin-  
ta confipere liceat. Modo diximus, maculas, co-  
piose sub cute faciei & circa vulnera inficta fulgen-  
tes, disparere, quod, nostro quidem iudicio, sequenti  
modo peragit: Febre incensa, humorum massa, &  
cum hac materia variolosa eo magis movetur, & ver-  
sus caput pellitur, hinc variolae naturales primum in  
facie observantur; idem fit in artificialibus, sed tan-  
tum primis diebus, posterioribus enim versus vul-  
nera inficta, mox suppuratura, potior materiae variolo-  
fae

saec pars propellitur, ut in forma puris excernatur,  
hinc maculae in facie necessario evanescere debent.  
Facta eruptione febris remittit cum omnibus sympto-  
matibus, supra recensitis, & sequitur moderatus ma-  
dor, aegrotantibus salutaris.

## §. X.

*Suppuratio.*

Absolvitur eruptio tridui spatio, quo aegrotan-  
tes non tantum ab aëris iniuria, sed & a nimio calore  
prohibendi & in lecto detinendi sunt; abstineant quo-  
que cibis insalubribus, concoctuque difficilioribus,  
iustulisque sint contenti. Eruptionem pustularum  
feliciter peractam sequitur suppuratio, eandem tunc  
figuram praebent haec ulcicula, quam variolae na-  
turales: elevantur, albescunt, rubeum acquirunt in  
basi colorem, & flavescent, eandemque inclusam ha-  
bent materiam, nunquam tamen has tantas conspi-  
ces, quantas saepius in naturalibus, nec est, cur conflu-  
entes hic metuas, quarum exemplum vix ac ne vix  
quidem fisti poterit. Suppuratibus vero pustu-  
lis vulnera, brachiis incisa, hiant & suppurare incipi-  
unt, primis diebus minorem, posterioribus vero ma-  
iorem materiae copiam profundentia, quae saepius tan-  
ta acrimonia scater, ut facile superficialem cutis in-  
flammationem leviores pariat, per remedia topica fa-  
cili negotio removendam. Vulnera interim eadem  
methodo, quam supra iniunximus, iisdemque reme-  
diis externis tractantur, intermis medicamentis in  
totum fere carere poteris, nisi huic vel alteri pulviscu-  
colum leniter diaphoreticum ad tuendam transpira-  
tionem propinare, & obstructam forsan alvum per-

44 DE NONNVLLIS AD VARIOLARVM

clysmia vel lene laxans apertam servare velis, febris enim, quam suppuratoriam vocant, variolis naturalibus summe infesta, hic fere nulla timenda, haec enim quantitati variolarum respondet, quo maior haec, eo intensior febris, eoque periculosior, iam vero variolarum, arte productarum minor datur copia, quam naturalium, materia quoque excernenda non tam per cutem, quam per vulnera inficta ejicitur, hinc febris mitior, benignior omnisque periculi expers, immo fere nulla accedit, & eiusmodi excretio excretionis criticae nomen omni iure meretur.

§. XI.

*Desiccatio.*

Variolae artificiales ad superandam suppurationem tantum temporis spatium non requirunt, ac naturales, tertio quippe die iam desiccari incipiunt, crutias formantes, cutis superficiem vix penetrantes, nullasque foveas relinquentes; nec maculae lividae per plurimos menses, ut in naturalibus fieri solet, faciem dedecorant, sed elapsis paucis diebus disperarent; nec squammulas furfuraceas, nec ulceræ, post desiccationem diu manantia, aegros cruciantia, cutemque facie depravantia metuas, nec decocta avenacea, nec lac opus habes, nec alia pharmaca praestantia, ut cuti pristinum reddas nitorem; nec tam teturum atque intolerabilem fere odorem spirant, quam naturales, vix enim ex odore in conclavi praesentiam variolis laborantis iudicare poteris. Post pustularum desiccationem vulnerum habenda est ratio, suppurationem enim eorum ad tres, immo quatuor septimanas continuat, donec

donec tandem, puris copia paulatim decrecente, sponte clauduntur: sunt autem, si minora, parcumque materiae quantitatem fundunt, semel, si maiora, & pure abundant, bis quotidie methodo supra praescripta deliganda. Caro luxurians, consolidationem in nonnullis impediens, pulvere sacchari finissimi, vel tandem aluminis usci removenda. Ulceribus parvis serpiginosis, illis, qui impuritatibus humorum scatent, solum supervenientibus, repetitis laxantibus, massam humorum corrigentibus, infusionis, decoctis & remedii topicis notis medendum.

## §. XII.

*Aliquot momenta, scitu necessaria.*

Nunc adhuc momenta quaedam adducere, dubiusque, contra illa movendis, occursum in animo habeo. Primo: Variolae, arte productae, a naturalibus non differunt. Experientia enim teste compertum habemus, has cum illis esse easdem, eandemque, ut supra iam demonstravimus, habere figuram, omnem quoque morbi decursum, ratione eruptionis & suppurationis, unum fere eundemque esse. Porro constat, variolas artificiales aequae contagiosas esse, ac naturales, qua de re multa exempla in promptu sunt, sed Lectorem ad illud delegamus, quod supra Cap. I. §. IV. allegavimus, ubi relatum leget, natu minimum familiam senatoris & mercatoris celeberrimi ex contagio trium filiorum eiusdem, quibus variolae implantatae erant, variolas naturales contraxisse. Nec materia pustularum inter se differt, id quod varia tentamina, pure, in variolis artificialibus contento, instituta, satis

## 46 DE NON VVLIS AD VARIOLARVM

superque probant, quod aequi inservit inoculationi variolarum, eundemque habet effectum, ac pus naturalium. **Secundo:** Variolae artificiales a recidivo tuerentur: assertum hoc ratione & experientia inititur. Supra affirmavimus, decursum morbi variolosi naturalis benigni artificiali fere congruere, nec pus variolosum differre. Quod si igitur exploratum est, illum, qui variolis naturalibus semel laboravit, in eundem non recidere morbum, extra omnem quoque dubii aleam positum est, hunc, cui variolae sunt implantatae, tutum esse, immo, ut vere videor contendere, tuitorem illo, demonstravimus enim §. anteced. vulnera inficta non prius coire, quam omne pus variolosum e corpore sit eliminatum. Multi praeterea Viri, omni fide digni, usque & claritate praestantes, qui in hoc genere operationis multos iam annos omnem industriam fixerunt, afferunt, subiectum, cui variolae implantatae fuerunt, nunquam iisdem denuo obnoxium fuisse. **Tertio:** Ubi nulla in corpore dispositio, nec materiae variolae praesentia, ibi inoculatio frustranea. Hoc assertum probatur exemplo, §. IV. Cap. I. allegato, ubi in infante, quae variolis laborans nata erat, inoculatio inutilis fuit, vulneribus infictis ne minimam quidem mutationem subeuntibus, nec suppurantibus. Alium adhuc casum referam, qui patri obtigit, omniisque memoria dignus est: Famulus quidam, viginti duorum annorum, firma & constanti valetudine, illustri familiae operam suam locans, variolis nondum laboraverat, quas admodum merens sibi implantandas curavit eodem tempore, eodemque pure varioloso, quo quinque aliis in iisdem aedibus

bus variolae sunt insitae, quorum operationi eventus respondit, huius autem vulnera immutata manerunt, quae parens, prima deligatione quadraginta duas horas post operationem soluta, conspicatus recens filum vulneribus applicuit, sed frustra, hinc eidem cupienti quinto demum die ambo vulnera denuo incidit, iisque recens filum imposuit, sed irrito successu, ne minima quidem mutatione post repetitam operationem animadversa, vulneribusque coalescentibus. Haec autem scribens certo scio, hominem hunc adhucdum optima frui valetudine. Interdum quoque evenit, ut in quibusdam post inoculationem nec macularum, nec pustularum nota animadvertisatur, quorum tamen vulnera incisa maiorem puris copiam fundunt, qui que facilius emergunt illis, in quibus pustulae erumpunt. Pater meus puellae cuidam, octodecim annos natae, recteque valenti, variolas insevit, ctius facies sexto ac septimo die ingentem macularum numerum ostentavit, his autem evanescentibus ne unica quidem pustula prorupit, sed vulnera eo magis suppuraverunt: item firmo ac valido iuveni, septendecim annorum, in quo nec maculae, nec pustulae conspicuae fuerunt, is quotidie negotia sua curavit, donec tandem elapsis sex septimanis vulnera coaluerunt, ex quibus hoc temporis intervallo mira puris copia eiecta est. *Quarto* notandum est, alterum incisorum vulnerum interdum coire, nec ullum pus fundere, id quod perinde est, dum ex altero vulnera eo maior puris copia profluat, sed hic observatur, variolas plures ex illo corporis latere, quo vulnus manat, prorumpere, quam ex hoc, quo vulnus coaluit. *Quinto:* Inoculatio

enon

nun-

nunquam est periculosa, nec eventus anceps. Quo minus periculi variolae naturales, sparsim tantum prorumpentes, quas gravia symptomata non comitantur, afferunt, eo minus quoque in variolis artificialibus metuas, quin tunc hic ibis, cum febres acutae rarissime accedant, nec viri in hoc operationis genere veratissimi ullum exemplum fiant, quenquam ex implantatione variolarum esse mortuum, sed aliam fuisse mortis causam, si quis interea diem supremum obierit. Hinc sequitur *sexto*: Non in omnis generis morbis inoculationem esse instituendam, quo pertinent phthisis, febres lentae & hecticae, nec non, ut supra iam monuimus, acutae malignae, immo variolae, epidemice tunc grassantes, eam praecipue ob causam, ne inoculationi fiat iniuria; cavendum enim est, ne eam instituas, cum motus febriles sese iam exserunt. Scripsit ad me pater, saepius iam memoratus, se, anno praeterito rogatum, ut mercatoris cuiusdam filio variolas insererer, id propter motus febriles iam existentes negasse, postero die variolas ingenti multitudine prorupisse, filiolum hunc morbo gravissimo decubuisse, ac aegre mortem effugisse, quam si obiisset, id quod facile fieri potuisset, culpam utique parentes in implantationem, si prius facta fuisset, pereram transtulissent.

## §. XIII.

*Inoculatio, variolis naturalibus malignis forte supervenientis, salutaris est.*

Variolis, iisque epidemice grassantibus, unoque & altero, summo loco nato, mortuo, inoculationis remedium anxie demum quaeri solet, tunc omni cautione

tione opus est, quam etiamsi adhibueris, fieri tamen potest, ut in malevolorum censuram inoculatio incurrat. Duo hic exempla, notatu dignissima, fistere licet, quae Parenti optimo in acceptis refero. Alterum hoc est: *Parentes, inquit filoli unici tenuissima valetudine, Neostadii prope Magdeburgum habitantes in vico, ubi omnes fere infantes variolis succubuerent, (constat enim, centum propemodum infantes anno MDCCCLV in hoc suburbio variolis esse mortuos,) enixe me rogarunt, ut ipsorum filio variolas implantarem.* His autem epidemice grassantibus id recusare satius fuisset, sed divina fretus ope parentumque ardentissimis precibus inductus puerum hunc laxativo praeparavi, eidemque d. 7. Oct. variolas implantavi. Prima deligatione statuto tempore soluta deprehendi, vulnus brachii dextri plane coniisse, sinistri autem aliquatenus apertum esse: quinto iam die in puer, sebrem acutam nacto, ingens variolarum copia conspiciebatur, quam primum autem vulnus sinistri brachii hiare ac suppurare coepit, febris recessit, variolae suppurare coeperunt, & puer convalescit, qui hodie faniore fruitur corpore, ac ante operationem. Nullus dubitat, has fuisse variolas naturales, quibus puer hic mortuus esset, ni vulnus suppurrasset, ac inoculatio instituta fuisset. Alterum maiorem adhuc meretur attentionem: Matrona nobilis duodetriginta annorum, macilenta ac tenerrima complexione, quae variolis nondum laboraverat, quas tamen a teneris unguiculis valde abhorrebat, quinque mensibus ante tertium infantem ediderat, cum vehementissime angereatur nuncio, duas ipsius sorores, iam adultas, & quatuor

## 50 DE NONVLLIS AD VARIOLARVM

tuor millaria ab ipsa remotas, variolis decumbere. Pater meus, a dictis duabus fororibus redux, eam Magdeburgi invisens dicebat, sibi a patre ipsius facultatem esse datam, ipsi aliquis durabus eiusdem fororibus, ab hoc morbo adhuc integris, variolas implantandi, id quod animi aegritudinem augebat, tandem vero voluntati parentis obsecutura iter ad familiam suscipiebat, cui triduum insumebatur. Reversa cum duabus fororibus, totidemque filii, quos secum adverxerat, praeparabatur, eidemque ob plenoram vena incidebatur, ac alvus per lene laxans solvebatur. Omnium inoculatio eadem hora, eodemque pure instituebatur, reliquorum vulnera iusto tempore suppurrare incipiebant, praeter vulnera huius feminae illustris. Superveniebant cephalalgia, febris acuta, tonsillarum inflammatio, ptyalismus, ad quem natura inclinatior erat, alvi obstructio, & variolae confluentes. Haec symptomata in dies augebantur, vulnera quotidie deligabantur, donec tandem die decimo tertio praeter omnium opinionem, omni fere spe salutis deicta, vulnera hiscerent, horrendaque puris copiam protruderent. Quo facto symptomatis remittentiibus variolae, nullum pus continentis disparebant, in earumque locum squammulae furfuraceae magno numero succedebant, quibus valde vexabatur, illis quoque delapsis cicatrices nonnullae conspiciebantur, cuti quidem non alte inhaerentes. Vulneribus quotidie methodo praescripta deligatis, femina haec illustris, quatuor intermissis hebdomadibus, sanitati integerrimae restituebatur, brevi quartum editura partum. Quis ambigere ausit, has quoque fuisse variolas naturales, & hanc

INSITIONEM PERTINENTIBVS. 15

hanc operationem unicum ac tutissimum remedium contra malignas hasce variolas exstisſe, illaque omisſa matronam hanc nobilem extra omnem dubitacionem morituram fuiffē. Quam triste autem fatum, hac demortua, inoculationem mansurum fuiffet? Nonne omnis in eandem culpa malitioſe & contra omnem rationem translata fuiffet? Similem fere casum habuit GYOT, quem TISSOT recenset in *Libro supra citato pag. 73.* qui tamen, ut opinor, non classi variolarum, arte productarum, ſed naturalium adſcriben-  
dus eſt. Denuo autem inculco, ut inoculationem tunc, cum variolae epidemicē grassantur, caute insti-  
tuas, praecipue hanc ob cauam, ne ipſi culpa attri-  
buatur, ſi forte accidat, ut subiecto variolae inferan-  
tur, cum lethales adſunt, nec vulnera operationi re-  
ſpondent; hanc enim naturalibus variolis nec obeffe,  
nec contrariam eſſe, ſed iis benignis existentibus, vul-  
neribusque ſuppurantibus, crifin ſalutarem afferre,  
casus iamiam memorati ſatis luculenter probant.  
Forsitan quoque ex quadraginta & octo, quibus pater  
feliciflmo auipicio variolas infevit, quidam naturali-  
bus ſuccubuſſent, horum enim omnium inoculatio-  
ne fiebat tempore, cum variolae malignae epidemicē  
grassarentur, tunc demum enim terrore perculsi pa-  
rentes ad inoculationem, tanquam ad asylum, perfugi-  
unt, quam variolis non grassantibus negligendo in fer-  
vandis liberis paulo ſunt remiſſiores.

§. XIV.  
*Concluſio.*

Optimam itaque & facillimam methodum, va-  
riolas

G 2

52 DE NONNVLLIS AD VARIOLARVM ETC.

riolas implantandi, ea, qua maxime potui, perspicuitate ac dexteritate Tecum, Benevole Lector, communicavi. Possem quidem operationi huic Panegyricum scribere, dicendo, multos, qui variolis nondum decubuerent, ope huius operationis metu earum liberari, neminem oculorum detrimentum pati, nec variis aliis periculis symptomatibus subiici; possem commemorare, cicatrices hic nullas esse metuendas, quae saepius illorum faciei, qui variolis naturalibus corripuntur, notas foedissimas inurunt; possem demonstrare, aegre unicum exemplum sisti posse, quo probetur, illum hominem ex hac operatione esse mortuum. Verum enim vero hoc labore supersedere possum, quoniam multi iam ante me scriptores ingenitatem eorum numerum, quos operatione sua ab interitu vindicarunt, recensuerunt, ac excellentiam praestantiamque huius operationis dilucide probarunt, evincendo permultos, qui alias variolis naturalibus auferrentur, hac methodo servari posse; ne autem terminum Dissertationis transgrediar, huic Tr

etationi meae iam facio

F I N E M.



NOBI-

N O B I L I S S I M O   D O C T I S S I M O Q V E  
C A N D I D A T O

S. P. D.

A N D R E A S   E L I A S   B Ü C H N E R .

*S*i qui erectionis ingenii sunt iuuenes, in eo quoque potissimum laborant, ut studiorum assiduitate ac morum honestate ceteris antecellant, exprimantque aliquid, unde commendabile gloriosumque ipsorum fiat nomen. Atqui ex horum numero TV quoque, PRAESTANTISSIME DOMINE CANDIDATE, non solum per omne fuisti illud tempus, quo academico curriculo perfungebaris, sed nunc etiam, exantlato isto, TE talem praefas, qualem nos omnes, a quorum ore in hac Academia summa cum diligentia pependisti, ceteris commilitonibus TVIS in exemplum quoddam praedicabile merito sistere possumus. Tantum enim absuit, ut TIBI ipse sola adsdua omnium praelectionum medicarum philosophiarumque frequentatione satisfaceres, ut potius ea, quae audieras legerasque, meditando quoque in succum conuerteres sanguinemque. Ad hoc porro accessit, quod ductu CELEBERRIMI DOCTISSIMIQUE PARENTIS TVI subinde, cum in patria TVA versareris, ipsi medicinae practicae vacares, colligeresque inde plurima, quae in posterum maximo TIBI erunt emolumento. Quorum insignium profectuum practicorum specimen ipsa doctissima TVA Dissertatio, CLARISSIME CANDIDATE, exhibet, eo maiori bonori TIBE futura, quo gloriiosior buiusmodi scriptorum academicorum esse solet defensio, nullo Praefide adiuta. Proinde TIBI mox capessendos summos in Medicina honores ex animo gratulor, verissimeque auguror, fore, ut

G 3.

in-

\* \* \*

*in posterum quoque EXPERIENTISSIMI PARENTIS TUI  
spem abundantissime expleturus, & in omnis Tuae SPLEN-  
DIDISSIMAE FAMILIAE decus atque ornamentum, multo-  
rumque aegrotantium solatum diutissime sis victurus. Ex  
mea vero parte, sicuti nullum unquam officiorum genus de-  
siderari merito posse sum passurus, ita TE quoque gratam  
iacundamque mei memoriam nunquam esse depositurum,  
spero confidoque. Dedi in Academia Fridericiana, d. XVIII.  
Januar. cl. CCCLX.*

CLARISSIMO ATQVE DIGNISSIMO  
C A N D I D A T O

S. P. D.

D. IOANN. PETRVS EBERHARD.

*Si qua mibi iunctus es cognatio inter nos non intercederet,  
te tamen ex hac Academia discedentem, non dimitte-  
rem, absque aliqua amoris & amicitiae significatione. Po-  
scit hoc iure meritoque nonsolum amicitia erga Excell. Pa-  
trem TVVM, virum dein medica Scientia meritissimum; sed  
ipsa quoque TUA diligentia & acquisiti in Medicina profe-  
ctus, ac vita honorifice & cum laude apud nos, transacta.  
Non solum enim Berolini anatomicas & chirurgicas scolis  
cum fructu interfueristi, & in Theatro Anatomico Berolinense  
laudes meritus es celeberrimorum virorum: sed in nostra  
quoque Academia tam medicis quam philosophicis Prae-  
electoribus Illustrium & Excellentissimorum virorum qui no-  
stram Musarum sedem ornant, ita usus es, ut statim iudi-  
carem talem te futurum, qualem te hodie nobis sis. So-  
lus elaborasti egregium eruditionis Tuae specimen, differ-  
tatio-*

\* \* \*

tationem nempe hanc inauguralem, utilissimi argumenti.  
 Quidquid enim institutionis variolarium inimici adferunt:  
 contra hanc artificiales variolas producendi methodum, id  
 vel leve est & facile refellendum, vel de ipsis valet qui male  
 & tumultuarie hanc operationem perficiunt, id quod de An-  
 glorum potissimum Chirurgis, nuper demum anonymous au-  
 tor quæstus est peculiariter libello: Serious addres to the  
 Publick &c. cui TH. COOPERVS scriptio publica contra-  
 dixit. Gratulor ergo TIBI merito, insigne hoc acquistac  
 in Arte salutari cognitionis specimen, gratulor simul bono-  
 res in Medicina summos, TIBI iam conferendos, optoque ut  
 summum Numen te quam diutissime servet. Vale & me  
 quod facis, ama. Dab. in Reg. Frid. d. XVIII. Januar.  
 MDCCLX.

---

PRAENOBILISSIMO AMICISSIMO QVE  
**FRIDERICO LUDOVICO KESSLERO,**

SUPREMAE DIGNITATIS MEDICAE  
 CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

D. PETRVS IMMANVEL HARTMANN.

**N**on vnam profecto habeo causam, cur & ego ex huius  
 diei festiuitate insignem capiam voluptatem; quan-  
 quam ea omnium maxima est, quae amicitiae nostræ mu-  
 tuae debetur. Ex ipsis enim gaudii mei rationibus hic  
 praecipue refero, quod eorum commilitonum unus es, qui  
 mea qualicunque usi sunt institutione, non neglectis ta-

men

men aliorum me longe celebriorum eruditiorumque Professorum acroasisbus; tum qui propria meditatione lecta atque audit a in ampliores conuertere usus studuerunt; & qui denique honestissimis humanissimisque moribus se omnibus optime commendarunt. Quae omnia cum in TE conveniant, AMICISSIME KESSLER, intelligere exinde facile potes, quanta huic gaudio meo ex amicitia nostra accedant incrementa. Verum enim vero sicuti ex mea parte de mutua nostra familiaritate, quae hactenus inter nos intercessit, mibi prolixe gratulatus sum, ita nunc quoque iucundissimam exceptatissimamque arripio opportunitatem TIBI maxime gratulandi, tam de eleganti doctioque singularis eruditionis TVAE specimine, quod iam proprio TVO Marte honorifice is defensum, quam de summa, quae in TE propediem conferetur, medicorum dignitate. Quam dum ornabis iure TVO magis, quam eadem ornaris, siet profecto, ut CELEBERRIMO EXPERIENTISSIMO QVE PARENTI TVO & RELIQVAE SPLENDIDISSIMAE FAMILIAE TVAE maximo gaudio, patriae decori, aegrotantibusque solatio atque saluti futurus, & ex TE ipso felicitatis TVAE maiora in dies capessurus sis incrementa. Nisi vero amicitiae nostrae leges, quas sanctissime seruabo, ubique terrarum fvero, laedere velis, nunquam amicam mei memoriā animo TVO excidere permittes. Vale. Dedi  
Halae Magdeburgicae, d. XVII. Ianuar.

clccc LX.



Mon-

\* \* \*

**Monsieur,**

**J**e suis très sensible aux marques obligantes de Votre bon souvenir & de l'attention que vous m'avez témoignée de me mettre du nombre de vos Opposants. Je vous suis infiniment obligé de l'honneur, que vous me faites en cela & je vous rends mille grâces de l'attention que vous avez pour moi. Je craindrois de me rendre coupable de la plus noire ingratitude, si je laissais passer l'occasion qui s'offre à présent de vous offrir les voeux ardents, que je fais pour Votre prospérité. Non, mon très cher Ami, j'ai trop d'estime & de tendresse pour vous, que d'être insensible à un jour, où vous allez être honoré de la juste récompense de Votre assiduité. Je vous félicite donc de tout mon cœur, souhaitant, que le Tout puissant vous fasse réussir dans tous vos bons desseins & entreprises afin que vous recueilliez en peu de tems les récompenses dues à vos travaux, & qu'il vous conserve jusqu'à un âge le plus avancé à la satisfaction de vos cher Parents. Au reste je vous prie de croire qu'il n'y a personne au monde, qui vous aime plus que moi & que je serai toute ma vie

**Monsieur,**

à Halle, ce 19. de Janvier  
1760.

Votre très humble & très  
obéissant serviteur

**Auguste Frederic Dohlhoff,**  
de Magdebourg.  
Opolant.

H Greund,



Freund, soll an diesen Tage, wohl meine Freundschaft schweigen

Und Dir nicht die Empfindung, die Regung meines Busen  
Und meines treuen Herzens, in frohen Wünschen zeigen.  
Dir folgt von fern mein Glückwunsch, zu der Dir von den

Musen

Gewürdigten Belohnung des Fleisches, dem Dein Leben  
Dem fieber stille Morgen, und jeder Tag ergeben  
Und ganz gewidmet war. Geniß am jeden Tage  
Die Früchte dieses Seegens. Es müsse keine Klage,  
Und keine trübe Wolken, des Lebens Freude stören.  
Doch ach! Du eilest von mir — — Du eilst zu jenen Chören  
Verlassener Verwandten, die zärtlich Dich empfangen  
Und segnend Dich begrüßen. O! stille mein Verlangen  
Wend' oft aus dieser Freunde Versammlung, einen Blick  
Auf mich von Dir Verlaßnen, auf Deinen Freund zurück.

J. G. Marggraf,

d. A. G. B.

aus dem Schwarzburgischen.











halle, Med. Diss., 1759/60

ULB Halle  
004 139 615

3







DE  
NONNVLLIS  
AD  
VARIOLARVM INSITIONEM  
PERTINENTIBVS  
PRO CAPESSENDA  
IN ARTE SALVTARI  
DOCTORIS DIGNITATE  
PVBLICE DISSERET  
FRIDERICVS LVDOVICVS KESSLER  
MAGDEBURGENSIS.



D. XIX. JANVAR. MDCC LX.

HALAE MAGDEBURGICAE EX OFFICINA HENDELIANA